

norma infallibilis se ipsam interpretetur, & Deus vel Spiritus sanctus in Scriptura loquens, & Scripturam, per Scripturam explicans, sit summus infallibilis & irrefragabilis Scripturæ Interpres, nec præter eum hodie ullus externus & irrefragabilis Scripturæ Interpres detur. Quam & Theologi Britannici *Confessione fidei* anno 1647. scripta cap. 1. §. 9. & 10. proponunt & Lutherani nobiscum tenent ac publicè profitentur, in *Concordia sua* pag. 570. & 632.

CXXV. Ratio humana, quando sumitur pro potentia, seu facultate naturali, cognoscendi & ratiocinandi, est subiectum recipiens interpretationem Scripturæ *Luca* 24. 25. Quando verò accipitur pro habitu naturali & acquisito cognitionis principiorum theoreticorum & practicum, & conclusionum inde manantium, item pro actibus Logicè cognoscendi, judicandi & ratiocinandi, præstans est adminiculum & instrumentum Scripturam bene interpretandi, verum Scripturæ sensum investigandi, declarandi, illustrandi & probandi, indeque bonas consequentias, ad ædificationem in fide spe & charitate, formandi *1. Cor.* 2. 13. 14. 15. 16. *2. Tim.* 3. 15. 16. 17. *Act.* 17. 2. 3. & 18. 28. Idonea tamen certa authentica & autocratorica Scripturam interpretandi norma haberi non potest. Quia multa sunt in Scripturis revelata: quæ ambitu rationis non continentur, & spheram ejus excedunt, ad quorum veram certamque notitiam ipsa sibi relicta pervenire nunquam potest. Ac tametsi de rebus ambitu suo contentis, quales multæ in Scripturis occurrunt, judicare possit; sine periculo tamen erroris & deceptionis de omnibus judicare non potest. Quia, post lapsum primorum parentum, corrupta est, & in suis ratiociniis sæpe fallitur, & absque speciali Dei gratia, semper evanescit & stultescit *Rom.* 1. 22. nec in ullo homine, peccati Adamici particeps, tam est in integrum restituta, in hac vita, quin, citra gratuitam & indebitam Spiritus sancti assistentiam & directionem, erret fallatur & labatur. Ipsa ergò secundum normam Scripturæ corrigenda & dirigenda; non, pro norma Scripturam interpretandi, agnoscenda est. Hic non dominæ sed famulæ munus exercere, nihil pro imperio dictare; sed, in omnibus Spiritui sancto se submittere, suffragari & ancillari debet *2. Cor.* 10. 5.

CXXVI. Nec etiam Romanorum Pontificum decreta, nec Conciliorum, seu particularium, seu universalium, dogmata & canones,